

Werk

Titel: D. Jo. Frid. Blumenbachii Institutiones Physiologicae.

Autor: Blumenbach, Johann Friedrich

Verlag: Dieterich

Ort: Gottingae

Jahr: 1821

Kollektion: Blumenbachiana

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN659038048

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN659038048>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=659038048>

LOG Id: LOG_0027

LOG Titel: Sectio XXI. De Victu eiusque Appetentia

LOG Typ: chapter

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

SECTIO XXI.

DE

VICTU EIUSQUE APPETENTIA.

§. 327.

Ut virium animalium dispendium somno, ita naturalium et ipsorum corporis elementorum successiva iactura victu reparatur.

§. 328.

Efficacissime autem ad eundem comparandum et assumendum compellunt voces naturae diversi quidem generis, sed eodem tendentes, intolerandi nempe ab una parte cruciatus famis et sitis, ab altera dulcissimae sed non minus potentes appetitus illecebrae.

§. 329.

Et *famis* quidem caussam alii in modesto ex ipso otio sensu vacui ventriculi, alii in mutuo affrictu rugarum eius quae-

sivere, alii in stimulo ex copiosiore non solum affluxu humorum inquilinorum, salivae maxime, et gastrici liquoris nato, sed et acrimonia irritante, quae iisdem tunc supervenire soleat nisi ingestis eidem tempestive caveatur.

§. 330.

Sitis vero magis in ipsarum faucium molestissima siccitate, tum et in singulari stimulo ab acrium, salinorum praesertim, ingestione orto, quaerenda videtur. Sequitur ideo excedentem absorbtionem humorum ex oris cavo, qualis v. c. matri contingit lactanti quando iam lactentem infantem uberi admovet; aut qualis non raro post venae sectionem et alvi laxationem observatur. Verum et ex stimulo mentali a graviori animi pathemate contingere solet.

§. 331.

Necessitas quidem utriusque huic stimulo satisfaciendi pro varietate aetatis, habitu corporis, et maxime vi consuetu-

dinis plus minus urgens est, ut vix certi quid de ea statui possit; in universum tamen eo res redire videtur, ut homo adultus et sanus, qui suae spontis est, [cui nempe nec phanaticis deliramentis nec aliis praeter naturam affectionibus istae voces naturae obtunduntur *]), ne unam quidem diem absque notabili vi- rium prostratione, vix vero ultra octi- duum sine vitae discrimine esu ca- rere queat.

§. 332.

Potum vero, et si eius desiderium ve- hementius urgere videatur, minus tamen ad vitam et sanitatem necessarium esse, docere videntur tum numerosae calido- rum animalium species, mures, coturni- ces, psittaci etc. quibus nulla potandi necessitas imposita est, tum vero et ipso- rum hominum exempla, qui omnis ge-

^{*)} cf. post innumeros alios de diuturna inedia auctores, JAC. BARTHOL. BECCARIUS in *Com- mentar. instituti Bononiens.* T.II. P.I.

it. FLOR. JAC. VOLTELEN *memorab. apositiae Septennis hist.* LB. 1777. 8.

neris potulentorum plane desueti, diutissime fani et vegeti vixerunt*).

§. 333.

Quod vero *victum* attinet, quo ipsis
naturae vocibus internis facimus satis,
disputatum est, cuinam ex binis classibus
principibus, animalis sc. aut vegetabilis,
humani corporis fabrica magis respon-
deat, et qui ergo homo proxime a natura
destinatus videatur? **).

§. 334.

Herbivorum natura sua hominem esse,
post aliorum argumenta ex figura den-
tium *** aut longitudine intestinorum
hominis +) desumpta, et quod tenuium

^{*)} v. G. BAKER in *medical Transact.* publ. by the College of Physic. in Lond. Vol. II. p. 265 sq.

^{*)} J. W. NEERGAARD vergleichende Anatomie und Physiologie der Verdauungswerkzeuge der Säugetiere und Vögel. Berol. 1806. 8. pag. 244.

***^o) GASSENDI ep. ad Jo. BAPT. v. HELMONT.
Oper. ed. Florent. 1727. fol. T. VI. p. 17. AL.
MONRO sen. in *Essay on comparative Anatomy*
pag. 17.

¹⁾ Jo. WALLIS in *philos. Transact.* No. 269.

tractus habitu valdopere a crassis differat,
et colon ipsi bullosum sit etc., Rousseau
vius acute sane exinde comprobare stu-
duit, quod femina natura sua unipara sit
et binis provisa mammis*); quibus omni-
bus etiam addere liceret tum exempla
ruminatio[n]is humanae, utpote quam af-
fectionem nonnisi herbivoris competere
notissimum est, tum vero et facilitate qua
herbivora domestica victui animali assue-
scunt, cum e contrario animalia natura
sua carnivora si a cane domestico disces-
seris vix unquam ad cibos vegetabilis
transeant.

Carnivorum autem qui cum Hel-
vetio**) faciunt hominem, ad ventri-
culi eius conformatio[n]em, et breve ipsi
intestinum coecum, similiaque argumenta
provocant.

§. 335.

At enim vero curatiore observatione
luculentissime docemur neutiquam homi-

* Sur l'origine de l'inégalité parmi les hommes p. 196 sq[ue]z mallic be regard de misericorde.

**) De l'homme T. II. p. 17.

nem ad alterutrum saltem, sed potius natura sua ad utrumque istorum alimenterum genus destinatum esse: cum et dentes eius, maxime molares *), tum et intestinorum fabricae quae modo citavimus momenta, medium quasi teneant inter easdem ferarum et herbivororum partes: maxime vero etiam articuli ratio qua condyli mandibulae humanae ossis temporum iuncti sunt eandem eius praerogativam demonstrant.

*) Singularis est BAOUSSONETI sententia, qui, dum molares hominis dentes proprius ab illis herbivororum abesse putat, incisores contra eius et caninos magis ad illos carnivororum accedere, ex numero molarium collato cum illo reliquorum dentium, concludit, rationem victus vegetabilis cui natura destinaverit hominem esse ad portionem victus animalis = 20:12.

At enim vero, hac ratione posita, sequetur tenellos infantes, (utpote quibus bini tantum sunt in cuiusvis maxillae latere dentes molares,) ad longe maiorem portionem victus animalis destinatos esse quam adultum hominem, siquidem in ipsis numerus molarium lacteorum se habet ad illum reliquorum dentium = 8:12.

§. 336.

Et si vera sunt, ut sunt verissima, quae alias de hominis privilegio monuimus, cui, latius quam cuivis alii animali, universus patet terrarum orbis, facile exinde fluit, tam alterutro saltim victus genere male ipsi consultum fuisse, cum tot nunc commode habitet regiones etiam si unius tantum alteriusve ordinis alimenta ipsi praebeant.

§. 337.

Est vero homo omnium quae novimus animalium longe maxime omnivorum, quod non solum ab una parte ingenti dapum varietate ex utroque organico regno parata luxuriari, verum ab altera etiam unico fere eodemque simplicissimo victu sanus ac vegetus vivere possit.

Ita enim, ut paucissima saltem tangere liceat exempla, innumeri homines hodienum unice vegetabilibus vescuntur, solani tuberibus, castaneis, dactylis etc.

qui et aboriginum generis humani victus fuit, siquidem eos primo et diu fructibus saltem et radicibus, tum frumentis et leguminibus vitam sustentasse longe verisimillimum est *).

Mauri nomades fere solo gummi Senegalico vivunt **).

Kamtschatcae totque aliorum littorum accolae piscibus.

Pastores in Americae australis provincia Caracas ad Orinocum fl. ***) et in ipsa Europa Morlachi †) fere unice carne.

Imo vero barbarae nonnullae gentes carnibus crudis, quod sane quondam de Samojedis ‡), Esquimotis ††) et de

*) cf. coniunctissimi HEYNE *opuscula academica* Vol. I. pag. 366 fq.

**) ADANSON in *Mém. de l'acad. des scienc. de Paris* a. 1778. pag. 26.

***) FIL. SALV. GILY *Saggio di storia Americana* Vol. IV. pag. 120.

†) GIUS. ANT. PUJATI *reflessioni sul vitto Pitagorico.* Feltr. 1751. 4.

‡‡) (DE KLINGSTAEDT) *Mém. sur les Samojedes et les Lappons* 1762. 8.

†††) CURTIS in *Philos. Transact.* Vol. LXIV. P. II. pag. 381. 385.

australis Americae quibusdam nationibus *) negari non poterat.

Nec minoris momenti singularia circa potulenta quarundam gentium occurunt.

Plurium v. c. insularum, quae tropicos interiacent, maxime in mari pacifico incolae aqua dulci omnimode carent, eiusque loco lacte nucis cocos utuntur.

Alii aquam marinam bibunt, et quae sunt id generis alia innumera, hominem omnivorum quam apertissime demonstrantia.

*) Jo. WINTER ap. HAKLUYT *principal navigations of the English nation* Vol. III. pag. 751.